# FERDINANDO · IV.

VTRIVSQVE · SICILIAE · REGI

PRINCIPI · OPTIMO · PIENTISSIMO

BONARVM · ARTIVM · AC · DISCIPLINARVM

FAVTORI · MVNIFICO

QVOD

ARPINVM · COMMORATIONE · SVA · COHONESTAVERIT

INDVLGENTIA · LIBERALITATE

AVXERIT · NOBILITAVERIT

DOMINICVS · ANTONIVS · MARSELLA · ARPINAS

CVM · TOTA · DOMO

DEVOTISSIMVS · NOMINI · MAIESTATIQVE · EIVS

VERSICVLOS · HOS

GRATI · ANIMI · MONVMENTVM

DICAT · CONSECRATQVE





# ODE

*Patriae gratulatur Poeta de adventu* FERDINANDI IV.

FAllor? meque furor ludit amabilis?
Immortale tibi nunc decus additum
O dulcis videor cernere patria
   Non uno inclyta nomine.
Ergo Parthenopen, arvaque deserens,
Sebethos placido flumine quae alluit,
Arpini geminis addita collibus
   Gestit visere moenia
Ingens Borbonii gloria sanguinis
FERDINANDUS, amor, delicium suae
Gentis, laude vigens cujus et ultima
   Nomen litora transvolat?
Tanto plaude viro, patria gestiens:
Mecum vos agedum spargite lilia,
Cives; vos manibus plaudite, laudibus
   Summum tollite Principem.
Hic est, qui populos imperio beat
Vesanae injiciens frena licentiae:
Hunc aequum metuit subdola vindicem
   Fraus, omne et metuit nefas.
Quas non daedaleis fervere civibus
Urbes? quos populos moribus asperos?
Vel quae rura feris horrida sentibus
   Nos usquam, hoc duce, cernimus?

Tu doctis tribuis praemia frontibus;
Calcar tu ingenuis addis et artibus,
FERDINANDE; nova ac te stupet auspice
Hospes moenia surgere.
Te propter meritis fulget honoribus
Virtus, alma fides: vincula criminis
Per te jura vigent: te colit aequitas,
Ac veri pietas soror.
Dicam, quae tibi mens provida consilî,
Rerum multiplici et nescia concuti
Mole, aut bella pares, aut libeat tuis
Leges dicere gentibus;
Per quam nomen, opes, gloria et imperî
Crevere, ac pavidis te videt Itala
Tellus praesidium rebus, idoneum
Belli reddere ferias?
At vel Pindarico pleniùs aureo,
Vel tentet Latio carmina barbite,
Impar quisque tuas, optime Principum,
Laudes tradere posteris.
O nostris utinam jam Deus annuens
Votis te incolumem servet in ultimum
Aevum! Parthenope quid paveat? mea
Quid, te sospite, patria?



# ELEGIA

*Tanto adveniente Principe Arpinum alloquitur cives.*

HAec subit o quantus, cives, nunc moenia Princeps,
Et movet augustum per juga nostra pedem!
Regia cui conjux titulis, ac moribus aequis
Assidet, Austriaci sanguinis almus honor;
Itque comes lateri communis cura parentum
Filius: hic quantum nominis addet avis!
En agedum cuncti laetas ad sidera voces
Tollite, et ingenti plaudite laetitiâ.
Vos, vos festivo deducite carmina plectro;
Vos mihi tam faustum concelebrate diem:
Quin et vicini resonent nunc undique colles
Laudibus, et circum consonet omne nemus.
Pinguia Fibrenus jam leniùs alluat arva,
Laetior et Liris per vada serpat aquis.
Urbs ego jucundo Volscorum in vertice surgens,
Inclyta non armis, nec ditione feror;
Inclyta sed famâ Hesperiis à Gadibus usque
Auroram, et gemmis litora foeta maris.
Attica non tantum studiorum maxima nutrix,
Aut Europa animis, ingeniisque vigens;
Sed molles Asiae populi, et ferus accola Nili,
Meque orae celebrant, o America, tuae.
Scilicet hìc gemini aethereas venere sub auras
Heroes, per quos gloria tanta mihi.

Alter ( nostis enim ) virtute insignis, et armis
  Ex tenui censu venit in ora virûm.
Septimus hunc vidit repetitis fascibus annus
  Romulidis belli jura, domique dare.
Hunc vidit Libycis illustrem Roma triumphis,
  Ibas dum sacrâ, vincte Jugurtha, viâ.
Vidit et hostili foedatum pulvere crines
  Sessitis multo sanguine lympha tumens,
Teutonicas cum fregit opes, Cimbrumque minantem
  Arcibus exitium, territa Roma, tuis.
Grajugenumque duces et dextrâ praestat, et armis,
  Te praestat, Priami, ac terror Achille Phrygum.
Alter Romani decus immortale Senatus,
  Et Latii princeps Tullius eloquii.
Graecia non primos posthac sibi sumat honores,
  Victa armis, victrix nec tamen ingeniis;
Nec tibi, Roma, sui jactet Demosthenis arma,
  Socratica aut quidquid protulit illa domus.
Nam ruit immensus facundo Tullius ore;
  Fulminat, et mulcet, pectora quaeque rapit.
Quis potior populi moderari, ac vota Senatus;
  Judicum et in miseros flectere corda reos?
Adspice, ut è rostris sistat mutabile vulgus,
  Et Rulli mirâ detegat arte dolos:
Arceat ut patriis quae jam Catilina pararat
  Moenibus ( heu facinus! ) funera, tela, faces.
Maxima quin etiam concedit turba Sophorum:
  Illa quod edocuit, pleniùs iste docet,

At dum natorum gaudens tot gesta recordor,
  Aeternis meritò concelebranda notis;
Heu! lacrymans ambos turpatos crimine cerno,
  Crimine, quod potis est tollere nulla dies.
Ecce mihi ante oculos multâ tu caede cruentus,
  Audax in cives stringere tela Mari.
Per te mors aeque sublimes sternit, et imos;
  Tibris, tecta, viae, sanguine templa rubent.
Dic age, quis furor, aut dominandi dira libido
  Impulit, ut senior ferreus ipse fores?
Tullius ah! nimium gaudet popularibus auris,
  Tullius effreno laudis amore furit.
Undique quaesitos famae molitur honores;
  Atque sui tantum pectora torquet amor.
Grata mihi sophia, ac praestans facundia Tullì;
  Utilis et bello dextera grata Marî.
Me tamen alterius cruciat mens effera, cives,
  Laudis et alterius tam furiata sitis.
Quid? fraternus amor quidquam num tangit utrumque?
  Mutua num pietas ferrea corda movet?
O mihi magnanimus si sese ostenderet heros,
  Heros, quem virtus vindicet una sibi!
Non atrox, non vana tumens, semperque benignus,
  Maternâ in cunctos qui pietate flagret.
Hic vir, hic est, multis, cives, quem saepe petivi
  Votis, deliciae, et maxima cura mei:
Omnis quem spectet, dignus quem diligat aetas,
  Aevo nec memori deleat ulla dies.

At quae nunc subitò pertentant gaudia mentem?
  Quae surgit facies nunc inopina mihi?
Quem non ulla potis prisca ostentare vetustas,
  Héros ante oculos, cernite, tantus adest.
FERNANDUS nostris, cives, vestigia tectis
  En ponit, praesens et beat arva, domos.
Ut praestans terrâ sublimem ad sidera virtus,
  Virtus non ullâ labe notanda levat!
Quippe ostro, ac gemmis, regale insigne, decorus
  Sceptra gerit, populos et ditione tenet,
Vestinis quâ impulsus aquis rigat aequora Liris,
  Quâque, Pachyne, tuum verberat unda latus.
Hoc quis difficiles belli tenet aptiùs artes,
  Militiaeque animos ad grave fingit opus?
Amplior haud quisquam faciem componere pugnae,
  Ducere cessantes doctus in arma manus.
Est mens consilii velox, est provida rerum;
  Nec vigilanda sibi, neve cavenda latent:
Imperiumque regit nulli virtute secundus:
  Maxima molitur, maxima semper agit.
Nil tamen ipse ferox, ulli nec pervius irae;
  Nil et vesano laudis amore tumet.
Sed placidi mores, pietas, clementia cordi
  Insidet, ac semper mitia quaeque fovet:
Et generis titulos, meritos et temnit honores:
  Conscia mens recti sat sibi, gentis amor.
Cernite, ut augusto majestas fulgeat ore:
  Improba si terret, cetera corda rapit.

Ut facilis magnis, et dictu affabilis imis!
  Quid dominum? satiùs dixeris esse patrem.
Immemor usque sui, modo publica commoda curat:
  Crescunt imperii gloria, nomen, opes.
Scitis, ut ingenuas Rex optimus excolat artes,
  Mille licet curis undique pressus eat.
Has mirare novâ nunc hospes luce nitentes?
  Non tenuis, tanto vindice, partus honos.
Nec minùs assiduis, hoc Principe, rura colonis,
  Daedaleisque urbes civibus usque vigent:
Quâque pedem poterat timidum vix ferre viator,
  En latum facilis jam via praebet iter:
Spernit et ignotas tumidi nunc aequotis undas,
  Dum navem patriâ navita merce premit.
Quid referam quae jura suis, quas gentibus aequas
  Imponat leges? lene quid imperium?
Qualis et ancipiti stet mens impervia fraudi?
  Aut qui justitiae, ac relligionis amor?
Scilicet augusti sequitur vestigia Patris,
  Quem memini nostras incoluisse domos.
Nec dicam imperio natum te regna beare,
  FERDINANDE, tuis cognite major avis?
O quanta extremas volitat tua fama per oras!
  Vera cano: venies major in ora virûm,
Itala cum tellus post tot discrimina rerum,
  Postque metus, luctus, praelia, damna, neces,
Te propter miseri restincta incendia belli,
  Et pacis reduces viderit ipsa dies.

At laudem metuens tentantem dicere plura,
Rex o magne, tuus detinet ecce pudor.
Non tamen illa silent, quae nunc mihi maxima confers
Munera longinquâ nec peritura die.
In me nempe geris curamque, animumque paternum,
Adspectuque tuo me magis usque beas.
Haec referam, meritas impar persolvere grates;
Excidet at nunquam gratia tanta mihi.
Haec dicent cives, dicent serique nepotes,
Atque tuum memores nomen ad astra ferent:
Plaudent voce, manu, recinent nostri ardua montis;
Te, FERNANDE, canent, gloria Borbonidum.

ROMAE

IN TYPOGRAPHIO PALEARINIANO

NONIS NOVEMBRIBVS

ANNO M· DCC· XCVI·

PERMISSV PRAESIDVM


Legatoria GIUDICE
Via Fuori Porta S. Gennaro, 7
NAPOLI



